

2087

## C O D I C E S

2088

*Dominica Gaudete*, quae est III. Adventus, unde Nota ad Decembrem potius pertinet. In alia Nota ad Februarium recensentur Attinentia ad beneficium S. Margarete, sive satis curta Supellex vaforum et vestimenti sacerdotalis; item agri, prata et vineae illuc pertinentes, quo loco nominantur Pagi Enzesfeld et Lintaprum cum Oppido Sachenau (Salchenau, Saalenau) inter Viennam et Neostadium siti. Denique ad Octobrem dicitur peragi Anniversarium domine Anne Roesenwergerin singulis annis in Nouacuitate in Ecclesia beate virginis (postea cathedrali) proxima dominica post diem Omnium animarum per dominos Lewtiuncos vel Lewtiuncos; ita enim dubie scriptum est. Quod, quid si bi velit, discere cuperem. Ceterum nihil peculiare habet Missale.

## DCCCLI.

R. 3266 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 243. f. per duas columnas charactere crasso, luculento, atro perscriptus, rubricisque distinctus, est Missale, quod e Calendario praevio, in quo Bruno et Hugo Lincoln. Ep. miniati comparent, ad Carthusiam aliquam referendum videtur, eamque in ditione Bohemica, vel Provinciis conterminis sitam, nam ad calcem Margareta, Elizabeth, Wenceslaus, Adalbertus, Procopius, Ludmilla, Vitus, Fratres Martyres Crisinius, Benedictus, Mathaeus, Johannes et Isaac propriis Officiis celebrantur. Juvat item observare

Silam, qui in Martyrologio Baroni 13. Julii colitur, in Calendario nostro 28. Novembr. cum adposito Apostoli memorari. Fol. ult. habetur Ritus suscipiendi nouitium monachum ad professionem, in quo tamen non exprimitur religiosae Familiae nomen. Tabulae posticae adscriptae sunt Literae Rudolfi de Rudesheim prius Ep. Lavantini, nunc Wratislavensis et per Poloniam ac Bohemiam Sedis Apostolicae Legati ad omnem Clerum Dioec. Olomucensis datae Wratislavie Die XXVII. Mens. Octobris Anno domini 1474. quibus injungit Preces contra Belli calamitates singulis diebus ante inceptionem Introitus Summe misse publice persolvendas additis 40. dierum Indulgentiis etiam pro Laiis, qui earum loco 20. Pater noster et totidem Ave Maria recitaverint. Precum porro Formula integra subjuncta legitur. Sedem Olomucensem ea tempestate inter Bobuslaum Hassensteinius de Lobkowicz, et unum, alterumque Italicum nutasse, notum est ex historia.

## DCCCLII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2217 XV. Folior. 239. f. maj. optime scriptus et servatus, coloribusque et luculenta ad Canonem Christi dextro latere vulnerati et tribus clavis adfixi Imagine conspicuus est Missale in usum Dioceesis Salisburgensis, ut e Calendario praevio eruitur, in quo Rudberti et Virgili Epp. Festa et Translationes minio consignantur. Fol. 225.

2089

## L I T U R G I C I .

2090

225. occurrit Missa *Pro victoria christianorum*, e cuius Orationibus liquet, eam *contra christiane fidei pestiferos turbatores, contra hereticam prauitatem et hereticorum potentiam* dirigi, quo nomine non nisi *Hussitas* eo aevo designari potuisse credam. Successu temporis ad Ecclesiam aliquam Ordinis **Franciscani** devolutum Codicem probant Festa ejus Ordinis serius *Calendario adscripta*; ad nos vero e *Neostadiensis Episcopatus Bibliotheca* pervenit.

## DCCCLIII.

R. 3095 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 265. 4. per duas columnas bene scriptus, coloribus illustratus et deauratis initiorum Literis *Missale* est, et quidem ad Ecclesiam *Pataviensem* pertinens; nam in praevio *Calendario VII. Id. Jan. Valentinus Ep. et III. Non. Aug. Inuentio S. Stephani* mino signatur. Ante Canonem pieta visitur Icon Servatoris tribus clavis cruci adfixi et latere dextro con-

*Vbique fines tuos pax possedit Austria Leopoldo te gubernante,  
Que in melius reformabitur Innocentio ipsum sublimante.*

Atqui *Innocentius VIII. illum an. 1485. aris imposuit.*

## DCCCLIV.

R. 2238 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 280. f. max. magnifice perscriptus, initiorum literis et marginibus florulentis auro, coloribusque speciosis, et rubricis

fossi adstante Matre et Discipulo. In *Te igitur &c. supplicatur pro Papa nostro, et Antistite nostro, et, quod singulare, rege nostro;* inter *Collegas* tamen fit *Oratio pro Imperatore et Romano Imperio.* In Adpendice habetur etiam *Collega contra Turcos*, et praeter varias Missas partim recentius institutas, partim nunc antiquatas *Massa de XXIV. Senioribus*, cujus Orationem adscribo: *Deus, qui ineffabili pietatis prouidentia presitisti, ut viginti quatuor seniores in conspectu maiestatis tue fidelium offerrent supplicationes. Presta nobis miseris gratiam tuam: ut eorum precibus et meritis in cunctis necessitatibus nostris auxilium impetremus. Per dom. De hoc errore e perperam intellecto C. 4. Apocalypseos profecto, et Austriae Provincias pervagante dixi Vol. I. P. II. col. 2288. Codicis scripti Aetas adlucet e subjuncto Chori Officio de S. Leopoldo Austriae Marchione, cuius ultima Antiphona in Vesperis haec est:*

distinctus, quondam Bibliothecae *Episcopatus Neostadiensis*, praemissu Calendario, in quo praeter obscuriores quosdam ad diem 28. Aug. notatur: *Hic obyt Teodoricus Episcopus Noue ciuitatis (ex Ord. Minor. adsumptus) hora fere undecima noctis anno 1530. ita inscribitur: Secundum consuetudinem chori iuuaniensis ecclesie missarum tem-*